

3 Jus naturale est, quod natura vel potius autor natura omnibus hominibus indidit; hoc per se valet sine auctoritate principum. Jurisconsultus dicit, quod natura omnia animalia docuit, quia scilicet hujus juris effecta communia sunt hominibus cum brutis animalibus, ut, seipsum defendere, sobolem generare, eandem conservare &c. Dicitur aliâs Jus naturale primævum, ad differentiam juris naturalis secundarii, quod dicitur jus gentium, quia recta ratio omnibus hominibus id observandum præcipit, seu quia naturæ ductu ex gentium constitutione introductum est, ut potior sit commoditas in societate humanâ. Breviter: jus gentium est jus naturale non brutorum, sed hominum; est naturalis ratio; naturalis lex. Nam quæ bruta faciunt instinctu naturali, ea si homines faciunt ratione, jure naturali facere dicuntur; quæ bruta non faciunt, ea si homines ratione faciunt, jure gentium faciunt. Hujus generis sunt religio, bellum, servitus, dominiorum distinctio &c. Legatur Cic. lib. I, officiorum.

4 Jus positivum est quod constat instituto & auctoritate legislatoris.

5 Estque vel divinum, vel humanum.

6 Divinum illud est quod Deus sancivit, & per Moysen promulgavit, de quo legi possunt libri Moysis.

7 Jus humanum homines habet autores, videlicet Imperatores, Reges, Principes aliosque idoneos magistratus, vel etiam universum populum. Dicitur aliâs jus politicum seu civile.

8 Jus humanum deinde est vel scriptum, vel non-scriptum.

9 Scriptum, quod tabulis sive literis est comprehensum; estque vel publicum, vel privatum.

10 Non-scriptum, quod usu est introductum, & dicitur consuetudo. De hisce plenius Jurisconsulti.

3 Justitia est vel distributiva, vel commutativa.